

21  
A. C. F. M.  
DISSERTATIO ACADEMICA

**M A L A**  
**LIBERTINISMI**  
**RELIGIONUM**  
IN  
**R E P U B L I C A**  
EXPOSITURA,

---

Cujus PARTEM PRIOREM,

*Consens. Ampl. SENATUS Philof. in Illuftri ad  
Auram Athenæo,*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANN E**  
**BILMARK,**

Hift. & Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & Ord.

*Publicæ Bonorum cenfuræ modeste fubjicit*

**ARON MOLANDER,**

Wiburgenfis.

In AUDITORIO MAJORI Die XVII Decembr.  
MDCCLXXII.

H. A. M. C.

---

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPH. FRENCKELL.

MAXIME REVERENDIS

D: NO PAULO  
KROGIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI, Diœceseos Borgoënsis AR-  
CHI-PRÆPOSITO, Templi Cathedralis ANTISTITI,  
& Venerandi Consistorii ADSESSORI,

PATRONIS

Quod plerique mirabuntur, qui specimen  
MINIBUS consecratum viderint, id Vos,  
bimini. Favor enim, quo Parentes meos  
nec non beneficia, quibus me, Gymnasium  
quoddam grati animi documentum postula-  
fertationem hanc in tesseram pietatis nun-  
eandem, enixe oro, serenis vultibus, aucto-  
etjam frui. Quam si dederitis veniam, ego  
nuncupare calidissima non intermittam, ad

MAXIME REVENDORUM

RIS

atque AMPLISSIMIS,

D: NO JOHANNI  
BORGSTRÖM,

S. S. Theologiæ DOCTORI, in Regio Gymnasio Bor-  
goënsi Eloquentiæ LECTORI, atque Venerandi Consi-  
storii ADSESSORI,

PROPENSISSIMIS

hoc Academicum Celeberrimis VESTRIS NO-  
PATRONI PROPENSISSIMI, minime mira-  
cariffimos nullo non tempore amplecti voluistis,  
Borgoënsē frequentantem, ornastis, publicum  
runt; & quum nullum aliud suppetat, dis-  
quam intermorituræ Vobis offero. Suscipite  
rique concedite, Vestro favore in posterum  
vicissim pro perenni Vestra felicitate vota  
cineres usque permanfurus

NOMINUM VESTRORUM

*devotissimus*

MOLANDER,

*VIRO Amplissimo atque Spectatissimo,*  
**D: no JOHANNI WADSTEN,**  
*CAMERARIO Adcuratissimo,*

**AVO MATERNO HONORATISSIMO.**

**Q**uam benevolam animi propensionem, favoremque plane singularem, quo *Tu*, AVE DILECTISSIME, me semper es amplexus, mente recolo, recolo autem quotidie, in certam latamque erigor spem, hocce, quod *Tibi* dicatum volui pietatis monumentum non omnino ingratum futurum. Hæreo adhuc ad radices Parnassi, ubi maturiorem attigerim ætatem, maturiora dabo & *Tuo* in me adfectui, meæque in *Te* venerationi convenientiora. Interim ne adsperneris hoc manusculum, sed voluntatem offerentis prolixam, non tenues vires respicias, & quem mihi cumulatissime hactenus exhibuisti favorem, integrum porro mihi conservare digneris. Mearum vicissim erit partium DEUM O. M. assiduis fatigare precibus, velit *Tibi*, AVE Propensissime, longuam ætatem & vegetam senectutem concedere; ita ex intimis pectoris recessibus vovet

**AVI HONORATISSIMI**

*Nepos obedientissimus*  
**ARON MOLANDER.**



*Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,*  
**D:no ABRAHAMO LAVONIO,**  
Pastori Ecclesiæ, quæ DEO in Seminge colligitur,  
dignissimo.

*Amplissimo atque Spectatissimo VIRO,*  
**D:no JOHANNI WILHELMO  
MEINANDER,**  
Secretario & Savolaxiæ Territorii Inferioris PRÆTORI  
dexterrimo.

*VIRO Spectatæ Fidei & Integritatis,*  
**D:no ISAACO TACKOU,**  
Inferioris Satagundiæ Territorii PRÆTORI  
Adcuratissimo.

**AVUNCULIS HONORATISSIMIS.**

**P**lura & majora sunt *Vestra* in me merita, quam ut  
eisdem rependendis ætas mea sufficeret. Postulat  
tamen officium, ut ore & re profitear, me *Vobis* ef-  
se obstrictissimum. Patiamini proinde, hanc meam  
qualemcumque dissertationem esse Specimen ingenuæ  
pietatis, qua unumquemque *Vestrum* impense prosequor.  
Excipite eandem solito favore; sic ego non desistam,  
ad supremum Nomen pro *Vestra Vestrumque* felicitate  
vota nuncupare calidissima, permanens

**AVUNCULORUM CARISSIMORUM**

Cultor humillimus  
ARON MOLANDER.

*VIRO* Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,  
D: no Mag. **CLAUDIO JOHANNI**  
**MOLANDER,**

Ecclesiæ, quæ DEO in Keselax colligitur, PASTORI  
Dignissimo,

**PATRI INDULGENTISSIMO.**

**E** loquar, an sileam? nescio, dum Te, *PARENS INDULGENTISSIME*, prima vice publice compellere mihi licet. Obversantur enim animo meo ingentia beneficia, quibus inde a cunis me ornatum voluisti; nec me fugit, quam his celebrandis, ne dicam rependendis, impar sim. Post *DEUM O. M.* Tibi, *PARENS OPTIME*, vitam debeo, & simul omnia, quæ vitam reddunt felicem, accepta refero bona. Tu Tibi ipsi sæpe defuisti, ne mihi quidquam deesset. Quid vero Tibi pro tantis Tuis in me meritis rependam? Nihil habeo præter animum gratissimum & pietatem nunquam intermorituram; in cujus pignus Tibi, *PARENS INDULGENTISSIME* offero dissertationem hanc, Studiorum meorum primitias, quam ut serena excipias fronte, prolixa, qua par est, veneratione oro atque obtestor. De cætero *DEUM O. M.* supplex rogitō, ut Vos, *PARENS INDULGENTISSIME* & *MATER CARISSIMA*, vita inoffensa, fortuna propitia, & placida senectæ fruamini & sero hinc ad Cælestia migretis gaudia. Ita summa animi devotiōe precatur

**PARENTIS INDULGENTISSIMI.**

*Filius obedientissimus*  
**ARON MOLANDER.**

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,*  
**D: no JOHANNI SCHRÖDER,**  
Ecclesiæ, quæ DEO in Ugoniemi colligitur, PASTORI  
Meritissimo,

*ADFINI HONORATISSIMO.*

**F**ximiam Tuam, Adfinis Carissime, in me benevolentiam perpendens, non possum, quin Tirocinium hocce Academicum Tibi in signum gratissimæ mentis dem atque dicem. Nullus vicissim dubito, quin Tu, qua es humanitate, pagellas has amico adspicias vultu. Quod si impetravero, mihi nihil prius, posterius nihil erit, quam supremum totius mundi Moderatorem supplicibus sollicitare precibus, velit Te omnibus bonis ornare, quæ ætatem Tuam reddunt ex omni parte felicem. Vale &, ut coepisti, fave:

*CARISSIMI NOMINIS TUI*

*Observatissimo*  
ARONI MOLANDER.



## AUCTORI,

Amico dilectissimo, litteris moribusque  
ornatissimo.

**O**ccasione hac gratissima non potui non declarare intimum illum amorem, quem a teneris inde unguiculis sincerrimum erga Te fovi, quemque mutuum esse, multa comprobarunt. Lætissimum itaque mihi esset, eum qui sese aperit, campum in Tuas excurrendi laudes, ingredi quibus Te dignum in argumento presenti exponendo præstitisti; sed nec licet amico amicum coram laudare, nec satis facundie mihi inesse sentio; & quod maximum est, omnes qui Dissertationem Tuam elegantissimam perlegunt, meo præconio opus non habebunt. Summa vero animi sinceritate & in sinu gaudeo & Tibi gratulor non tantum insignes animi dotes, verum etiam felices progressus, quos jam, in castris Doctorum militans, fecisti. Paucis hoc adquam, faveat Tibi in posterum lætioris fortunæ benignior aura; ita ut Tuorum non explere modo, sed & superare possis vota. Sic voveo, & dum mei memor sum, permanebo

Tuus ex affe

ANDREAS HENRICI WINTER.





## §. I.

**Q**uamvis DEUS O. M. pro ea, qua genus imprimis humanum amplectitur gratia, non solum intensissimum sese conservandi & felicitatem suam promovendi studium animis nostris indiderit, sed etiam rationem mortalibus dederit ducem, cujus sub auspiciis votorum suorum compotes fieri possunt; multi tamen concessas sibi facultates adeo negligunt, ut turbulentorum potius adfectuum impetum, quam sanæ rationis dictamina sequantur, bona apparentia veris præferentes, atque ita a felicitatis meta magis magisque recedentes. Creverunt indies hæc mala per segregem vitam in statu naturali; qua factum, ut in tanta hominum perversitate alter alteri fidere non potuerit: quomodo facultæ rationis sensim sensimque obscuriores evaserunt, quum nemo alterius implorare opem auderet, sed singuli per aliorum injurias suis velificari commodis compendio sibi duxerint. Ist hæc autem nocumenta tandem facta sunt documenta; quare quum extra societates nulla emergendi spes esset, has constituerunt; ex quibus deinceps successu temporis novis ad foedus accedentibus subinde Familiis, civitates formabantur; quibus diversa hominum studia sunt conjuncta, atque diversitas propensionum ac voluntatum ad uniformem modum redacta. Enimvero continentur majores hæc Societates pacto inter membra reipublicæ inito, quo sese obstrinxerunt ad ea omnia sine tergiverbatione agenda, quæ ad communem utilitatem conducant. Quare cum pactorum vis omnis consistat in Religione seu persuasione de Summi Numinis tam existentia quam cæteris attributis, ut-

pote omniscientia, qua occulta quævis molimina sibi habet perspectissima, de omnipotentia, qua cuncta sua exsequitur decreta, & de justitia, qua singulis pro merito bonum vel malum tribuit, sequitur, quod Religio sit civitatis compages et robur. Præterea in Religione imprimis *Θείανθεωπία* Divina sese luculenter conspiciendam præbet, quum media felicitatis tam æternæ consummataque, quam civilis obtinendæ tutissima suppeditet. Quum itaque Religio & civitatis constitutio ad eundem collineent finem, felicitatem scilicet generis humani; facile patet, quod Religio & Respublica arctissimo inter se nexu constringantur. Tolle enim Religionem & sensum Numinis, mox experieris, honestatem, fidem atque justitiam exulare, vitiorum agmina ingravescere, firmissimumque humanæ societatis vinculum disrumpi; quum ista omnia judicem omniscium & vindicem justissimum supponant. Præterea civitatis robur consistit in observantia officiorum, tam Principi quam civibus injunctorum; hæc autem Religio non solum explicat, sed motiva etiam partibus muneris pro virili satisfaciendi proponit fortissima, hinc Supremi rerum Moderatoris voluntatem & gloriam, inde perennaturam Principis securitatem & civium felicitatem. Hæc Gentilium quoque sapientes probe intellexisse, omnia eorum Legislatorem Sophismata, leges atque instituta sua ad Deos Auctores referentium, satis superque demonstrant. Quamvis vero allata hæctenus argumenta influxum Religionis in felicitatem civilem luculenter evincant; absit tamen a quovis, cui sanum est sinciput, ut cum Machiavello aliisque Pseudopoliticis statuatur, Religionem esse inventum humanum, statui cuius publico pro re nata attemperatum. Nam sicut Deus principia Religionis cordibus hominum ante constitutas civitates indidit, eademque pro rerum & circumstantiarum ratione mutari non possunt, utpote

utpote in immutabili Dei essentia fundata; ita toto errant cœlo, qui Religionem ad instituta referunt humana. Stante autem hac hypothesei Pseudopolitica, pietas, fides ac justitia hominum ludibrio exponerentur, nec aliqua perpetua & constans esset Religio, sed tot mutationibus obnoxia, quot sunt hominum aut temporum vicissitudines.

## §. II.

Quoniam itaque Religio & civitas ad similem finem, felicitatem videlicet generis humani, collineant, & respectu graduum felicitatis tantum a se invicem differunt, quantum felicitas consummata & finem nunquam habitura distat a mutila & bracteata hujus sæculi prosperitate; sequitur, quod quo purior & Sanctitati Divinæ convenientior fuerit cultus Numinis, eo magis etiam floreat salus civium tam publica quam privata. Verum sicut unus est Deus & una ratio ad felicitatem æternam perveniendi; ita unica tantum est vera Religio, & proinde diversitas omnis Religionum repetenda est a levitate ingenii humani, qua factum est, ut in Religionis sectas varia irreperint figmenta, nihil sæpe minus, quam sanctitatem spirantia. Uti vero hæc alio spectant, atque videri volunt; ita sequitur, quod quo purior fuerit Religio, eo etiam sanctiora contineat præcepta Moralia, eoque clariori in luce sint posita officia, quæ singuli civitatem constituentibus supremo rerum Conditori, sibi ipsis & aliis præstare debent hominibus, eo denique fortiora, adsint motiva, munerum numeros quantum humana patitur conditio, implendi. Quare quum vera Religio ad praxin virtutum tendat, & per sedulam virtutum culturam eliminentur vitia, omnis infelicitatis fons atque scaturigo, satis apparet, quod quo purior floreat Religio, eo arctius habitent vitia, eoque major



felicitas in ista civitate sit expectanda. Præscribunt quidem leges civiles, quid civibus in hoc vel illo statu consideratis sit faciendum: determinant etiam pœnas, quæ legum transgressores manent, sed exigua est innocentia ad legem bonum esse; quare purior Religio nobis injungit strictius obsequii vinculum, ut non solum propter obligationem & vindictam civilem, sed & propter conscientiam & ad declinandam pœnam in foro Divino, præceptis Principis pareamus. Præterea leges civiles, saltem pleraque, occupatæ tantum sunt circa jura & obligationes natura & pacto perfectas; purior autem Religio hæc inter officia ultimi gradus ponit, & officia humanitatis ac beneficentiæ sedulo inculcat, sine quorum exercitio felix & beata minime foret vita hominum. Denique quum nemo sine crimine vivat, quisque vero suos patiatur manes, sanctior Religio vitia propullulantia in ipsa herba suffocat, impeditque, ne in actus gravissimos erumpant. Domat enim non solum *Φιλανθίαν*, omnium fere malorum, civitatem turbantium, matrem, ejusque filias ac neptes, pravas scilicet cupiditates, ambitionem, voluptatem, avaritiam, iram, fraudem atque invidiam; sed contra ea virtutes mansuetas, mutuum imprimis amorem animis hominum ingenerat, ex quibus luculenter apparet, quantum sanctior Religio ad veram civitatis felicitatem conducatur.

### §. III.

Quantumvis rerum Divinarum humanarumque scientiæ tantum non omnes nostra ætate sedulo excolantur; docet tamen experientia, quod multi non eo, quo par est, studio in campo eruditionis versari soleant, quum multæ defendantur opiniones, quæ ad evertendam potius quam amplificandam veram eruditionem sunt comparatæ. Delere enim ex hominum animis genuinam pietatem,

tem, res Divinas speciosis argutiis subfannare, veritates evidentissimas fluxu dubitationis peplo involvere, pestilentissimos contra errores conquistis stabilire argumentis, multi sibi non ducunt religioni. Quam insignem ingenii humani vertiginem ille apud CICERONEM COTTA considerans, eo vesaniæ prolabitur, ut Deo ipsi tantum non dicam scribat, quod hominem ratiocinandi facultate donaverit. *Haud scio, inquit, an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, paucis admodum salutaris, non dari omnino, quam tam munifice & tam large dari (a).* Enimvero ista opinio est valde impia, & stulto, quam viro sapiente, dignior. Facit enim Cotta, quod solent vitiorum operatores, qui culpam omnem in Deum transferre non dubitant, qui aliter ratiocinatus fuisset, si modo perpendisset, quod abusus nunquam tollat usum. Sed non solum fuit Cotta, qui calculos in argumentando perverse subduxit; dantur adhuc multi, qui potius a facultatum animæ abusu, quam ab earundem sobrio usu inclarescere cupiunt. Quorsum imprimis referimus *Libertinos* nostri Sæculi, qui in ipsam Sanctissimam Religionem tantum libertatis ac juris sibi statuunt, ut ex doctrina Christiana non plus, quam commodum videtur, & adsumtis placitis inserviat stabiliendis, admittant, atque adeo novum sibi fingant Religionis genus, ex Christianis atque Philosophicis doctrinis conflatum. Vocari alias solet hæc Religionis species Religio Eclectica, quæ nulli fidei formulæ homines adstringit, sed liberam sentiendi ac credendi facultatem singulis in negotio salutis concedit. Revelatio præcipue sudes ipsis in oculis est, quam proinde rationis imperio subjicere operose student. Hos igitur hunc in modum describit de VOLTAIRE: *Ceux-ci plus attachés à Platon, qu'à JESUS-CHRIST, plus*

*Philosophes que Chrétiens, fatigués de tant de disputes malheureuses, réjetterent témérairement la Revelation Divine, dont les hommes avoient trop abusé & l' autorité Ecclesiastique dont on avoit abusé encore davantage (b).* Ad indifferentissimum igitur proxime accedit Religionum Libertinismus, quum enim quisque sibi pro arbitrio Religionem effingere possit, modo caveat, ne in evidentissima rationis principia impingant sua placita, quumque illius ductu via ipsi ad salutem pateat; consequitur, quod inter Religionum Sectas nullum præstantiæ discrimen detur, sed omnes sint æquipollentes. Dispesci autem haud incommode possunt Libertini in duas classes: alii enim paria cum Naturalistis faciunt; Revelationem esse vanam, & subactam rationem esse sufficientem ad salutem æternam obtinendam existimantes; alii vero, qui verecundiæ limites non penitus transilierunt, Revelationem eatenus admittunt, & magni faciunt, quatenus hæc robur præconceptis eorum opinionibus addat: utrique autem in ordine salutis, ceu satis apparet, primas partes rationi, secundas Revelationi; quoties collisio quædam inter hæc cognoscendi principia incidat, tribuunt.

---

(a) Vid. CICERONIS Libr. III. de natura Deor. Cap. XXVII. p. 174. (b) Vid. L' Histoire Generale Tom. III. p. 390.

#### §. IV.

De origine Libertinorum multa multi disputare solent. Sunt nonnulli, qui Libertinos Sæculo primo ad minimum existisse, sibi persuadentes, occasionemq; hujus opinionis sumentes ex Act: VI: 9, ubi expressa habetur mentio Sectæ cujusdam, quæ Hierosolymæ Synagogam habuit, quæque Secta Libertinorum nuncupata fuit. Sed quinam isti fuerit Libertini, & quid professi sint, ambigua



bigua valde est quaestio. Notum est, quod in Republica Romana illi dicti fuerint Libertini, qui ex servitute manumissi erant. Quare cum Romani saepe in terram Judaicam incursiones fecissent, & captivos inde duxissent, hi Judaei in Patriam suam tandem remissi, Synagogam Libertinorum Hierosolymae constituisse putantur; quam sententiam adprobat, & rationibus quibusdam communitate nititur CAMPEGIUS VITRINGA (a). Enimvero nullam adesse videmus rationem, quare Judaei, qui caeteras fere omnes nationes praese factidierunt, in memoriam pristinae acerbae servitutis nomen Libertinorum retinere voluerint. Potius igitur existimamus, quod quum Evangelista LUCAS in loco citato utatur Latina voce Libertinorum, quam Graeco vocabulo facile exprimere potuisset, Libertini isti ex Latio fuerint oriundi, & de Religionis Judaicae praestantia praese sua convicti, ad horum sacra accesserint, & post varios fortunae casus propriam Synagogam Hierosolymae sibi constituerint. An vero alicui ex celebribus Judaeorum Sectis addicti fuerint, vel peculiarem instituerint cultum, indagare non potuimus. Si prius admittamus, diversi omnino fuerunt a nostri aevi Libertinis; in posteriori autem casu fieri potuit, ut eclecticam amplexi sint Religionem, adeoque respectu dogmatum dicti fuerint Libertini. Quicquid sit ex genere Libertinorum jam tum ista aetate fuisse videntur Herodiani, siquidem cum Pharisaeis externam Judaismi professionem habuerint communem, intus vero atque in cute cum Sadduceis eandem fovebant Religionem, & mundanam tantum potentiam, opes ac dignitatem quarebant, inter haec ad Principis nutum, instar Protheorum, sese sollicito componentes. Alii rursus Apellem, non pictorem ejusdem nominis, tanquam Principem & Auctorem indifferentistarum ac Libertinorum nuncupant, qui vixit saeculo secundo ad finem vergente

gente (b). Adseruit enim ille, fidem non omnino esse examinandam, sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, perstare debere. Enimvero quam Libertinorum sit proprium vitium, quod dogmata fidei nimis curiose & perverso examinent modo; non video, qua ratione Apelles hic ut Auctor Libertinorum citari queat. Quamobrem si, quod fas est, dicere liceat, nec hic nec illi fuerunt primi Libertinismi Religionum Auctores. Sicut enim omni tempore homines in mala fuerunt proclives, atque paradoxa defendere non dubitarunt; ita a remotissimis inde temporibus non defuerunt, qui sibi id negotii sumserunt, ut ex proprio cerebello optimam formare Religionem fategerint. Docet enim Historia, fida illa rerum testis, quod fuerint homines minime indocti, qui in meridiana luce adeo cæcutierunt, ut existentiam Dei impugnare non dubitaverint. Quis igitur miretur, quod juxta fuerint alii, nonnihil modestiores, qui tamen in eo vehementer errarunt, quod curta rationis suæ decempeda immensam Sapientiæ Divinæ abyssum metiri voluerint; nihil ut certum admittentes, nisi quod ex rationis principiis per legitimam consequentiam deducere possent. Et quum ex hoc numero aliqui ubique terrarum fuerint, frustranea videtur disquisitio de origine Libertinorum, præsertim cum propriam nunquam constituerint Sectam, sed singuli in multis a se invicem discrepent, adeo ut heic vealeat *πολυεὐδαιτυν* illud: quot capita, tot sensus & tot ferme de rebus ad salutem pertinentibus diversæ opiniones.

---

(a) Vid. De Synagog. Vet. Libr. I. p. I. c. 15. (b) Vid. FECTIONII Histor; indifferentismi Cap. I. §. I.

§. V.

Quamvis Libertini peculiarem, quandam Sectam non

non constituerint; constat tamen, quod multis veterum speciosa eorum placita arriserint. Vix enim ad celestia atria adscenderat Salvator noster, quum non pauci etiam ex eorum numero, qui a Christo cognominati erant, haresium lolia inter triticum spargere ceperunt, præcipue autem rationem suam in præjudicium Revelationis valere voluerunt. Inter hos præcipue nominanda est *Gnosticorum Secta*, quæ sæculis post Chr. N. primo & secundo caput extulit. Comprehendebantur autem hoc nomine illi omnes, qui Philosophiam Orientalem de mali & mundi hujus adspectabilis ortu ad Religionem Christianam applicabant. In eo hi præcipue studium posuerunt, quomodo abstrusa Cabbalistarum figmenta, quæ sublimior quædam Philosophia ipsis videbatur, cum Religionis Christianæ principiis apte conjungerent, & hæc ex illa explicarent. Ad veteris ævi Libertinos referimus etiam Manichæos, qui sæculo III magnum in orbe erudito ediderunt strepitum. Horum antesignanus fuit Manes Persa, inter Magos educatus, sed qui deinceps Christianam amplexus est Religionem. Is Magorum Disciplinam seu Philosophiam cum Christiana Religione colligare, vel potius hænc ex illa, quod proprium est Libertinorum vitium, enucleare studuit. Quod negotium ut tanto feliciter succederet, Christum salutis scientiam mortalibus imperfectam reliquisse, se autem paracletum esse, quem hinc discedens Salvator discipulis suis promississet, audacter pronuntiavit. Ad isthanc classem pertinent quoque omnes Philosophi sic dicti Semi-Christiani, quorum haud exiguum fuisse numerum, docet Historia Litteraria. Quamvis enim hi Philosophiam imprimis profiterentur, non tamen dubitarunt Ecclesiæ Christianæ thesauris inhiare, plura, quæ præclare a Christianis de rebus Divinis & moralibus tradebantur, impudentissimo conatu surripientes, lucemque ita miscentes



tenebris, ut difficillimum subinde sit ea, quæ rationis ductu cognoverant, a Christianorum spoliis discernere. Ab isthac labe non præsus immunis fuit ORIGENES, magnum inter Ecclesiæ Patres nomen, qui dum ingenio suo nimium indulgit, simplicitatem Religionis Christianæ parvi fecit, Scripturamque novo more interpretatus, in varios errores fuit prolapsus. Sæculo XV innotuerunt *Fatres* sic dicti *Liberi Spiritus*, item *Libertini Spirituales*, quæ factio apud Flandros nata, hinc in Galliam progrediebatur, & MARGARETÆ, Navarrorum Regina, FRANCISCI I. Sorori sese probabat, & in aliis etjam Reformatæ Ecclesiæ partibus Patronos inveniebat. Hi ad imitationem Platoniorum, Religionem in animæ rationalis cum Deo conjunctione consistere, ad quam qui contemplando pervenisset eum instinctibus suis obsequi libere posse, & quicquid ageret, infontem esse, dicebant (a). Sed quo magis excolebatur Philosophia, eo magis succrevit Libertinorum factio. Sic exercitationem paradoxam in Belgio edidit BENEDICTUS SPINOSA de Philosophia Scripturæ interprete, qua statuit, rationem & Philosophiam esse normam unicam, certam, supremam & infallibilem Scripturas interpretandi, verum sensum eruendi & falsum deprehendendi. Hinc sordescit Spinozæ cum cæteris Libertinis interpretatio sacrarum Litterarum, quæ Philosophiæ radiis non illustratur. Ad Libertinos forte quoque pertinent, qui profitentur Religionem, quæ communiter appellatur *La Religion des honnêtes gens*, quam eleganter describit Comes OXENSTJERNA: *La Religion qu'on appelle des honnêtes gens, dont les debauchés parlent tant aujourd'hui est une production de notre Siècle inconnue à nos aïeux. Elle me paroît composée des quatre Religions qui sont au monde, & quæ sequuntur (b).* Sed ut tam indolem, quam progressus Libertinorum plenius cognoscamus, juvat verba

ba de VOLTAIRE heic adferre: Les Libertains se font répan- dus dans toute l'Europe, & se font multipliés depuis à un excès prodigieux, mais sans jamais établir ni Secte ni Société, sans s'élever contre aucune puissance. C'est la seule Religion sur la terre qui n'ait jamais eu d'assemblée, celle dans laquelle on a le moins écrit, celle qui a été la plus paisible; elle s'est étendue par tout sans aucune commucation. Composée originairement de Philosophes, qui en suivant trop leurs lumières naturelles, & sans s'instruire mutuellement, se font tous égarés d'une manière uniforme; passant ensuite dans l'ordre mitoyen de ceux qui vivent dans le loisir attaché à une fortune bornée, elle est montée depuis chez les Grands de tous les pays, & elle a rarement descendu chez le peuple. L'Angleterre a été de tous les pays du Monde celui ou cette Religion, ou plutôt cette Philosophie a jetté avec le tems les racines les plus profondes & les plus étendues: Elle a pénétré même chez quelques artisans & jusques dans les campagnes. Le peuple de cette isle est le seul qui ait commencé à penser par lui même, mais le nombre de ces Philosophes agrestes est très petit & le sera toujours (c).

---

(a) Vid. MOSHEMII Histor. Ecclesiast. p. m. 786, seq. (b). Vid. Pensées sur divers Sujets de Morale par Mr. Comte OXENSTIRN p. m. 227. (c). Vid L' Histoire Generale Tom. III p. 391.

#### §. VI.

Sicut multiplex esse potest ejusdem rei abusus; ita quoque qui Libertinismum Religionum defendunt, in multa abeunt opinionum divortia. Distingui igitur solet Libertinismus ab Eruditis I:o in *Biblicum*, quando quis in sua libertate positum esse arbitratur, utrum Sa-

crum Codicem pro Divino velit recipere, an non, id-  
 que vel ex toto vel ex parte, & in priori quidem ca-  
 fu Libertinismus ad Naturalismum proxime accedit.  
 II:o In *Exegeticum*, si quis Scripturam Sacram pro lu-  
 bitu interpretetur, & regulas Hermeneuticæ Sacræ pa-  
 rum observet. III:o in *Dogmaticum*, si quis nova Reli-  
 gionis præcepta ex suo ingenio procudit, parum folli-  
 citus, an eadem menti Spiritus Sancti sint convenien-  
 tia, vel non. De gravitate peccatorum proprias fovent  
 opiniones Libertini; putantes, peccatum natura sua nul-  
 lum esse, nisi opinione eorum, qui se peccare existi-  
 mant; cum quo dogmate coincidit Probabilismus Je-  
 suitarum, per quem id omne licere opinantur, quod  
 est probabile, hoc est, per unius vel alterius Doctoris ju-  
 dicio comprobatum, etsi de cætero veritati atque ju-  
 stitiæ repugnet. Plenius autem Libertinorum placita  
 evolvuntur in Libro, qui inscribitur, *L'infalibilité, la  
 dignité & l'excellence du jugement humain* &c. à Lon-  
 dres 1724, ex quo nonnulla per compendium heic ad-  
 feremus. Ses idées degagées de leur mystérieux galima-  
 thias reviennent en substance à ceci: Que la raison ju-  
 ge absolument du vrai & du faux: que par elle-même  
 on decouvre tout ce qu'il lui importe de connoître--  
 -- que la connoissance de l'avenir par les Songes nous  
 demontre l'immortalité de l'ame-- que toutes les loix  
 étant faites pour le bien public & particulier, elles sont  
 muables de leur nature-- que tous les pechés seront par-  
 donnés excepté le peché contre le S. Esprit, c'est à dire, selon  
 L'Auteur, le peché contre la raison:-- que toute la Re-  
 velation, horreo dicere, est une imposture, que les mi-  
 racles ne sont que de passe-passe pour en imposer aux hom-  
 mes, ut reliquias reticeamus ineptias (a). Nihilo tamen  
 minus humanitatis rationem habituros se profitentur  
 Libertini. Jam enim pratendunt ad *pacem* obtinendam



multum conducere, si libertas sentiendi & credendi omnibus ac singulis promiscue concedatur, nec jugum quoddam conscientis hominum imponatur. Jam ad *diversitatem donorum* provocant, DEUS enim eandem ingenii ac judicii aciem singulis largitur. Jam *veritatem* allegant, quæ rigidissimum non reformidat examen, sed ventilari gaudet. Ad quæ momenta breviter strictimque respondemus. Est omnino augustum pacis nomen, at sub hujus larva Libertinismum introducere, hoc est licentiæ, omnis discordiæ matri, portas aperire. Pax illa, quam tantoperè crepant, non pax est, sed pacis simulacrum: pax cum pravis, non cum DEO. Sunt quidem dona diversa, at quis propter horum diversitatem diversam probabit Religionem. Veritas non formidat examen, si secundum Scripturam S. examinetur: Ratio autem non est norma, sed organon. Bene igitur Dn. D. ALBERTI: Nostra Religio unice studet placere Deo; Socinianorum, Calvinianorum & Arminianorum blanditur rationi: Pontificiorum adulatur Papæ. Atque hoc pacto nostra Religio evadit simplex, quia Deo simpliciter credit: Calvinianorum, Arminianorum & Socinianorum subtilis, quia scientificè procedit: Pontificiorum Statistica, quia ad Monarchiam unius Monarchi seu Papæ omnia dirigit (*b*).

- 
- (*a*) Vid. La Biblioteque Angloise Tom. XII. P. I.  
 (*b*) Vid. Tractat. de interesse Religionum.

### §. VII.

Quoniam itaque Libertini in tot errorum diverticula, quot modo vidimus, secedunt; operæ pretium erit inquirere, quarum Sirenium præstigiis seducti in perniciosos adeo scopulos incidant. Accidit igitur Libertinis, quod infantibus contingere solet; sicut enim hi antequam

virium experimenta fecerunt, nihil non de sui corporis robore præsumunt; ita illi postquam veritatem quarundam propositionum detexerunt, nihil ita abstrusum & arduum autumant, quod ipsorum ingenio foret imperivium. Extollunt itaque mentis humanæ libertatem ac vires, & vix ullam ejus agnoscunt corruptionem, nisi quæ per corporis contagionem in animam nostram derivetur. Quis autem talibus vivam veri bonique cognitionem tribueret? quam sui ipsorum adeo sint ignari. In hoc tamen vitium, ex nimia sui confidentia ortum, non tantum Philosophi gentiles, sed etiam Theologi Christiani sæpe inciderunt. Nam ut unico exemplo rem declaremus, notum est, quanti a multis fiat JACOBI ABBADIE de noticia sui ipsius Libellus (a); quem licet multi ut inestimabilem sapientiæ thesaurum æstiment, celebris tamen hic Auctor, nostra quidem sententia, fuit a vera sapientia alienus. Eo enim redit quicquid in isthoc inculcat, ut ostendat hominem esse creaturam nobilissimam, & quæ vel sola nobilitatis ac dignitatis suæ sedula consideratione eo adduci debeat, ut virtutem rebus omnibus putet esse anteponendam. Quo ipso viribus ingenii humani nimium tribuit, & qui his insistent vestigiis in Libertinismi luto facile hærare possunt. Altera Libertinismi causâ est animus improbus & veræ pietatis ac Religionis contemtor. Solet enim hoc sapius constingere viris etiam eruditissimis, ut dum intellectui excolendo unice vacant, aut nullam aut saltem minimam emendationis voluntatis & adfectuum coercendorum habeant rationem. Ex quo perverso fit studio, ut Religionis igniculi, si quos unquam conceperint, sensim elanguescant, & dum omnia sibi indulget intellectus, doctrinas etiam maxime profanas, quas specioso quodam rationum fucô incrustare potest, admittat, & cum Christiana Religione utcunque conjungat. Quid? Quod fastu Philosophico

turgentes, simplicitate Religionis Evangelicæ offendantur, eandemque a Majestate Divina alienam esse putent. Multos quoque in Libertinismum præcipites egit nimium inclarescendi studium, quod ubi semel radices egit in animo Philosophi, fit, ut planas veritates rejiciat, & contra ea in paradoxis proponendis ac defendendis studium suum collocet. Hinc non immerito deplorat pruritus novaturiendi Episcopus Abrincensis P. D. HUE-TIUS: Ea quippe est ætatis hujus corruptela, ut si quis præter solitum sapere videri velit, tum id se adepturum speret, si Christi sanguine & miraculis fundatam Religionem, tot gentium consensu receptam, tot virorum doctorum lucubrationibus adsertam, magna sibi cura a Parentibus traditam, nec penitus tamen sibi perspectam, homo in ejus gremio natus & educatus, medioeris fortasse ingenii, parum doctrina, temeritate satis instructus pessundet, & tanquam stolidorum hominum figmentum traducat (b). Denique ad causas Libertinismi pertinet confusio limitum rationis, & Revelationis. Libertini enim de finibus rationis regundis parum solliciti, adinstar Gigantum olympum adoriri, consiliis Divinis sese temere ingerere, omnia scrutari, & ipsa quoque mysteria, quæ spheram ingenii humani longe superant judicio suo submittere, auctoritate plus quam Dictatoria conantur. Quid vero aliud inde eveniet, quam ut explosis primis Fidei Christianæ capitibus, solisque illis, quæ rationi prabantur, retentis, pretium veræ Religionis sensim evilescat. Sed avertat, animitus precamur, DEUS pejora!

---

(a) L'art de se connoître, ou la recherche des Sources de la Morale. (b) In præfatione ad demonstr. Evang. p. 2.



## FRATER CARISSIME

Sicut communis sanguis in nostris oscillat venis,  
ita præ gaudio nostra gestiunt præcordia, ex  
felici *Tuo*, Carissime Frater, in studiis litterarum  
progressu. Quum igitur *Tu* specimen Eruditionis  
*Tuæ* luculentissimum edis, benigne simul permittas,  
exiguam hoc nostrum tirocinium juxta poni. Ita  
communibus viribus Parentum Indulgentissimorum  
promovebimus gaudium. Macte virtute & erudi-  
tione esto: Sic præmia laborum, Deo duce & co-  
mite virtute reportabis uberrima. Quæ ut quan-  
tocyus *Tibi* contingant ex tenerrimis pectoribus  
optant.

*Fratres Tui Observantissimi*  
GABRIEL & JOHANNES MOLANDER.